

enberg  
ss.  
d. 6  
1791



*qva* DE VI  
QVA RES PARVÆ AFFICIVNT ANIMVM  
IN PRAECEPTIS DE MORIBVS DILIGENTIVS

EXPLICANDA

COMMENTATIONIS THEOLOGICAE

PARS PRIMA

QVA

AD SOLLEMNIA PENTECOSTALIA

A. C. C I C C L X X X V

IN ACADEMIA VITEBERGENSI

PIE CONCELEBRANDA

PUBLICO NOMINE INVITAT

ORDINIS THEOLOGORVM

H. T.

DECANVS

D. FRANCISCVS VOLKMAR REINHARD

---

VITEBERGAE

LITERIS CAROLI CHRIST. DÜRRIT

DE-AL

## АСИАЦІЇ ПХІ

## COMMUNICATIÖNS THICKNESS

119

AD SOCIUM AVMNIS FESTO STATA

卷之三

1928 K 944

## DE VI

QVA RES PARVAE AFFICIVNT ANIMVM  
 IN PRAECEPTIS DE MORIBVS DILIGEN-  
 TIVS EXPLICANDA

## P A R S P R I M A

**Q**uidnam esse causae putemus, cur, cum ea religione vita-  
 mur, quae est magistra virtutis, omnisque honestatis  
 optimâ commendatrix, et, simul atque editi sumus in lucem,  
 tum publice, tum priuatim, paeceptis imbuamur saluberrimis,  
 raro inueniantur, qui virtutem consequantur perfectam, in  
 multis autem vix appareat aliqua virtutis significatio, plurimi  
 deinde datos a natura honestatis igniculos malis moribus ce-  
 leriter restinguant? Atque in ceteris quidem rebus, quae vel  
 ad necessitates vitae, vel ad cultum ingenii pertinent, saepe fit  
 progressio admirabilis, incredibilisque cursus ad omnem excel-  
 lentiam, ut prope nulla sit ars, nullumque studiorum genus,  
 in quo non multi sint exercitatiissimi, et ad summa, atque vn-  
 dique suis numeris expleta, peruererint. Ad virtutis autem  
 aditum eti multi, variis incitamentis compulsi, aliquantum  
 procedunt: tamen pauci eam plane consequuntur, nec viuitur,  
 vt est apud CICERONEM,<sup>a)</sup> cum perfectis hominibus, plane-  
 que sapientibus, sed cum iis, in quibus paeclare agitur, si  
 sunt simulacula virtutis. Quamquam vero multa sunt virtutis  
 impedimenta cum in vitiolitate humanae naturae eiusque imbe-

A 2

cilli-

a) *De Offic. I. I. c. 15.*



cillitate, tum in rebus externis, quibus fit, ut plurimi statim a pueris in omni prauitate, et in summa opinionum peruersitate versentur: peccare tamen etiam si videntur, qui volunt esse virtutis magistri, aliosque praecepsis ad pietatem honestatemque instituant. Etenim quod reliquarum artium magistri diligenter faciunt, ut tironibus non tantum dicant, quae facienda sint, artisque suae ytilitatem iis commendent; sed etiam rationem ei modum demonstrent, quomodo singula instituenda sint et peragenda: id hi, qui doctrinam moralem vel scriptis illustrant, vel alio modo tradiderunt, omni tempore vehementer neglexere. Nam quot fuerunt, qui se profiterentur virtutis magistros, et, ut praecclare obseruat *Epidetus apud ARRIANUM,*<sup>b)</sup> aperirent quidem tabernam medicam, multis instruclam remediis; sed ubi, et quomodo ea sint applicanda, nec ipsi scirent, nec magnopere curarent. Quis autem non videt, in rebus iis, quae ad actionem pertinent, non sufficere, si quis sciat, quid et quare sit faciendum, eiusque ytilitatem intelligat: sed hoc maxime requiri cum in ceteris artibus, tum in praecepsis de virtute, ut ostendatur, quanatione, et quibus adiuniculari fieri possint, quae postulantur, ne tirones, cum ad rem ipsam ventum est, haereant, vel frustra laborent. Cooperunt etiam nostri, ex quo tempore viri harun rerum intelligentissimi, e quibus in primis commemorandus est ERNESTIVS,<sup>c)</sup> hoc saepe et grauiter admonuerunt, paulo diligentius versari in hac re, ac sermonibus de virtute adiungere praecpta de modo, quo vel depellenda sunt vitia, vel virtutes comparandae.

## II

Sed haec praecipiendi ratio longe difficilior est, quam homines vulgo existimant. Falluntur enim, qui rem totam confectam

<sup>b)</sup> *Dissert. I. III. c. 21. pag. 441. ed. Vpt.*

<sup>c)</sup> Ob aureolum libellum *de disciplina Christiana; Opusc. theol.* pag. 327. sqq.

fectam esse putant, si disputationi de indole ac praestantia cuiusque virtutis adiunxerint regulari quasdam, commendauerint, que nonnulla adiumenta, quibus viri debeant, qui eam velint exercere. Nam primo quidem adminicula illa plerumque sunt ex ipso virtutum genere, et ita comparata, ut iis vti non possit, nisi qui in virtute iam profecerit. Quid igitur tironibus prouident, vel iis, qui, quod adhuc vitiis laborant, his ipsis praefidiis penitus destituti sunt? Sic, ut hoc vtar, eos, qui saepo peccant, quod phantasiae violentia abrepti, tota mente contractant perniciose voluptates, temere iussuris animum ab ista cogitatione auocare, erigere ad Deum, componere ad preces, vel ad contemplandas res alias conuertere. Nam illa ipsa mentis auocatio longe difficultima est, nec habet illud imperium in semet ipsum, nisi qui diuturna exercitatione iam longe ad virtutem processerit. Deinde vulgo nimis late patent ista praecepta de modo ac ratione exercendae virtutis, ac sunt fere generalia tantum, hoc est, neque officiis singulis, neque ingenii hominum longe diuersissimis, neque temporibus satis accommodata. Nec mirum est, talia saepe legi, et audiri maxime ex iis, qui haec doctrinae moralis partem in docendo populo adhibent, cum plurimis nihil fere videatur facilius, quam locum aliquem de virtutibus aut vitiis tractare, paucissimi autem ad eam rem ingenium afferant litteris, in primisque historiae studior exultum, et rerum usu ac diuturna humanar naturae contemplatione subactum. Quare adiumenta virtutis, quae hominibus commendantur, saepe tantopere abhorrent a temporibus, ac singulorum officiorum natura, ut periculum facientes interdum nevideant quidem, quomodo adhiberi possint praecipientis conilia, vel certe successu destituantur, et nitantur frustra.

Vana igitur est, ut res ipsa loquitur, ac plane inutilis omnis ad virtutem cohortatio, quae modum comparandae



virtutis vel non attingit, vel id ita facit, ut in praceptis generalibus haereat, ad vitam ipsam, ad temporum, locorum, hominum, aetatis, conditionis aliarumque rerum plurimarum diuersitatem se non demittat. Sed qui rectius, et ad vitam accommodatus de virtute voluerit praecipere, ei diuturna obseruatione animi humani notanda est infinita paene multitudo rerum, quae, quod hominibus *paruae* videntur ac *leues*, plerumque negliguntur, quarumque vis eo maior est, quo magis latet, hominumque animaduersio se subducit. Nam ut in iis artibus, quae manuum ministerio exercentur, etiam res eae, quae imperitis leuissimae videntur, saepe sunt gravissimae, ut interdum vel e digitorum ad motione intelligi possit, vtrum aliquis satis exercitatus sit, an inassueta manus et incerta rem tractet: ita etiam in colenda virtute dici non potest, quantum res minimae valeant in vtramque partem. Multa negliguntur, multa ignorantur, maxime ab his, qui nunquam didicerunt, se aliosque nosse, multa denique ob levitatem quamdam animi in actione ipsa parum curari solent, quae, si animaduersa fuissent diligentius, ad incrementa virtutis plurimum profuissent; vel quod ab ineautis praetermittuntur, sensim et occulte mores corrumunt, animumque, nihil tale opinantem, vitiorum labo contaminant. Hae paruae res et leues, quarum est in omni actione et vita incredibilis quedam vis, vulgo non satis diligenter explicantur in doctrina de moribus. Excitandi enim sunt ii, qui vel vicia sua emendare, vel in virtute proficere voluerint, ut haec parua momenta, quibus in agendo saepe inclinatur voluntas et impellitur; ut has clandestinas malorum illecebras et irritamenta; ut hos paruos motus, qui sunt affectuum ac perturbationum preparatio, et quedam quasi comminatio; ut hos vitiorum accusantes et incrementa fallentia, aliaque multa, quae nemo impune neglexerit, sentire discant, obseruare apud se, et vel vitare,

vitare, vel prudenter ad vtilitatem suam conuertere. Si igitur,  
 qui praecepsit regere hominum vitam, et alios cum fructu  
 monere, voluerint, hac potissimum ratione consiliis suis vim  
 quamdam et vtilitatem conciliare debent. Nam generalia illa  
 praecpta, quae in schola traduntur, nihil fere habent, quod  
 adhaerescat in animis audientium, eosque ita afficiat, vt sen-  
 tiant, se tangi, sibi omnia dici, sua vita, suos motus, suam  
 in agendo consuetudinem vel reprehendi, vel eo, quo dictum  
 est, modo mutari et corrigi posse. Quo magis autem omnes  
 docentis sententiae ad has minutas animi mutationes descend-  
 dent, seque penitus in vitam ipsam insinuant: tanto plures ac-  
 cipiunt velutianas, per quas arripi ab audientibus possint ac  
 teneri. Putamus igitur, haud inutile fore, si per hanc oppor-  
 tunitatem de hoc arguento paullo conquisitius agamus, et  
 hunc locum, qui nondum satis perpurgatus est, diligentius  
 tractemus. Nec veremur, ne qui sint, qui hanc diligentiam,  
 res parvas consequantem, vituperent, cum in iis rebus, quae  
 ad animum vel corrumpendum, vel emendandum valent, nihil  
 nimis paruum haberri debeat; nullius autem artis perfectio sine  
 multis parvis rebus constet. Infinit profecto in minimis animi  
 mutationibus aut virtutis initia, quae, si negliguntur, facile  
 pereunt; aut vitiorum semina, quae celeriter altas radices  
 agunt, ac praeter opinionem ita adolescunt, vt in iis extirpan-  
 dis saepe frustra laboret acerrima diligentia. Erit igitur omnis  
 nostra hac de re disputatio tripartita. Primo quidem perspicue  
 docebimus, quas res in hac causa dicamus parvas, vt ex ipsa men-  
 tis humanae indole intelligatur, eas nec a magistris virtutis,  
 nec ab his, qui eam sectentur, negligendas esse. Deinde de-  
 monstrabimus, quid libri sacri hac de re contineant, et qui scripto-  
 res humani, cum vetusti, tum recentiores, hoc genus passim illustraue-  
 rint. Differemus denique de his minutis rebus accommodate ad capi-  
 ta quaedam doctrinae morales, et quae vniuersitate dicta fuerant,

trans-



transferemus ad vitam ipsam, ut accuratius intelligatur, quid et quantum sit, haec omnia rite cognita habere, ac diligenter notare. In quo tamen non hoc nobis propositum est, ut argumentum, quod latissime patet, et rerum infinitam paene copiam continet, plane prescribamus, cum id nec imbecillitas nostrae, nec huius loci ac temporis sit. Contenti erimus, primas veluti lineas duxisse, quae obseruatione, lectione, usu facile possint perfici.

Videamus igitur, ut propositum est, primo quidem notio nem ipsam, de qua hic agitur, ut intelligatur, quas potissimum res in hac causa parvas seu leues appellandas esse putemus. Atque hic licet sumere id, quod accuratius demonstrant, qui de prouidentia Dei subtiliter disputant, omnes mundi partes ab opifice summo ita ab initio constitutas esse, omnique tempore administrari, ut omnia sint apta inter se et connexa, et legibus quibusdam certis, tanquam vinculis continentur. In hac partium, quibus mundus constat, consensione, ac perpetua causarum ferie et sequentia, etiam minimarum rerum a Deo habitam esse rationem, nemini mirum videbitur. Neque enim perfecta esset omnibusque numeris absoluta in Deo rerum cognitio, nisi ea quoque complecteretur, quae nobis parua videntur, curare autem omnia, et gubernare hanc rerum universitatem non posset Deus, nisi seriem eorum, quae sunt, ita copularet et componeret, ut, quae sit in perpetua causarum progressionе etiam minimarum rerum efficientia, intelligeret, earumque vim sapienter moderaretur. Hanc Dei curam, in rebus levissimis conspicuant, Dominus ipse praedicat Matth. X. 29. 30. et quam sit solatii plena demonstrat. Negat enim minimam auicularia Deo negligi, horumque animalium vitam tam caram esse, ait, rectori mundi, ut sine eius numine nullum pereat. Quod autem hominum capillos quoque numeratos esse dicit;

-2887-

dicit; (nam quae ibi proxime de apostolis differit, ea latius patent, possuntque ad homines omnes transferri) id indicat, in homine nihil tam paruum esse, nihil tam leue videri, quod prouidentiae diuinae se possit subducere; solent enim, Hebraico more, capilli, cadentes de capite, dici de rebus aduersis, iisque leuissimis, ut satis constat; vid. 1 Sam. XIV. 45. 2 Sam. XIV. 11. Act. XXVII. 34. Est igitur hic rerum omnium causarumque in mundo perpetuus ordo, continuusque nexus diuino consilio tam apte deuinctus et implicatus, ut minima cohaereant cum maximis, nihil autem sit, quod non causae eiusdam praegressione fiat. Quare vsus ipse docet, e rebus minimis suspensos esse eventus maximos, et omnia fere, quae vñquam grandia visa sint, a tenui profecta initio, et aucta sensim paruis incrementis, ad magnitudinem suam peruenisse. Exstat etiam singularis hac de re libellus, Francogallico sermone scriptus, in quo multa praecelare disputantur;<sup>1)</sup> quare copiosius hoc argumentum persequi, iam nihil attinet. Hoc autem praetermitti in hac causa non debet, aptam illam, et ad certas leges exactam rerum omnium confensionem non tantum in ea mundi parte cerni, quae corporum infinita varietate constat; sed ad mentes etiam pertinere, quae sunt cum corporibus ita coniunctae, ut earum sint in efficiendis mutationibus, quarum series in hoc mundo explicatur, partes praecipuae. Nihil igitur in animis hominum sit casu et temere; nulla re externa, quamvis videatur leuissima, affici possunt, quin aliquid ex ea trahant; in ipsa denique agitatione interna nihil est tam paruum, quin aliquid efficiat, sitque causa mutationum aliarum. Qua de re quoniam copiosius praecipiunt, qui men-

tis

<sup>1)</sup> Index est; *Essais sur les grands evenemens par les petites causes*, Amsterd. 1758. Addendum est pulcherrimus BONNETI locus in *Contemplatione naturae* Part. I. c. 7.



tis humanae indolem aperiunt, et leges exponunt, quas in agendo sequitur: nos iam illam disputationem praetermittimus.

## V

Sed haec ipsa causarum continuatio seriesque perpetua saepe perobscura est, et ab ipsa natura tantopere inuoluta, ut vel penitus lateat, vel nonnihil partes quaedam a nobis possint conspiciri. Quis enim est, qui nexus tanti tamque varii veluti volumina explicare, et anfractus ubique persequi possit. Tanta est rerum, quibus circumfusi sumus, multitudo, quarum quaeque suam habet, sibiique propriam mutationum seriem, ut, quamquam ipsis sumis in hoc mundi nexu constituti, eiusque vim yndiquaque sentiamus, tamen nemo sit, quem non saepe conturbent coagmentationis tantae multiplices ἐλγυμὸν καὶ παπαὶ πολυπλόκοι. Nec mirum est, nobis in hac re longe grauissima, quae tam late patet, multa videri obscura, plurima vero a nobis penitus ignorari, cum animi acies vel in iis hebescat, quae nobis proxima sunt. Est enim mentis nostrae in arripiendis notionibus iis, quas per sensuum instrumenta de rebus externis accipit, et in formandis et contuendis reliquis, quas ipsa gignit ex se, vel ex opibus iamiam partis promit et renouat, tanta celeritas, ut fere nullibi consistat, sed continuo impetu ad nouas ideas feratur. Haec agitatio saepe vehementer augetur ipsis rebus externis, cum aliquid accidit praeter opinionem, quod motum aliquem in animo excitet, eumque vel voluptate perfundat, vel taedio afficiat. Praecepit autem est ista cogitandi celeritas maxime in hominibus iis, quibus ipsa natura tribuit alacritatem quandam, ut facilius, quam alii, et concipiant motum, et diutius continent. In hac igitur concitatione non omnia, quae videt animus, sentit et cogitat, ita ab eo percipiuntur, ut singulorum sibi sit distincte conscius. Plurima praeteruolant, mentemque non nisi leuiter tangunt. Impetum

petum enim, quo ad noua ruit animus, nonnisi tunc cohibere  
 solet, cum vel inuitus cogitur in aliqua notione haerere; quam  
 necessitatem ac tanquam vim ei aegritudo, tristitia, dolor,  
 alia, afferunt; vel cum aliquid percepit, quod contemplatione  
 dignum videtur, et quod pulcritudine, nouitate, mirabili qua-  
 dam indole, vel alia quacumque demum ratione eum allicit ac  
 tenet. Iam vero ea, quae in isto cursu praecipiti impetum animi  
 aliquo modo cohibent, et efficiunt, ut constat, seque ad contemplan-  
 dum et deliberandum det, grauia dicuntur et magna; habentque,  
 vt iam diximus, hanc vim, conuertendi in se animum ac te-  
 nendi, vel eae res, quae noua multa, inaudita et obseruatu-  
 digna continere videntur; vel eae, quae sunt cum salute nostra  
 aliquo modo coniunctae. Quare istius magitudinis seu gravi-  
 tatis, quam rebus tribuimus, gradus sunt paene infiniti, qui  
 bus attentio animi ita respondet, vt, quo magis ista grauitas  
 sentiatur, siue vera sit, siue opinata, eo diutius in re ipsa haee-  
 ramus. Reliqua vero omnia putantur parua et levia; non qui-  
 dem propterea, quod vere sunt contemnenda; vidimus enim,  
 in hac rerum compage nihil esse, quod ob nexum cum reli-  
 quis non accipiat aliquam vim; sed quod nobis imperitis, aut  
 festinantibus, ita videntur. Paruas igitur res hic dicimus eas,  
 quae animum vulgo non possunt attentum facere, hoc est, quae sunt ita  
 comparatae, vt afficiant quidem animum, et aliquam in eo mutationem  
 producant, sed leuem, quae eius attentionem non satis possit in se con-  
 uertere. Talia etiam CICERO in libris de officiis appellat parua.  
 Ut in fidibus, inquit, musicorum aures vel minima sentiant: sic nos,  
 si acres ac diligentes esse volumus animaduersores vitiorum, magna fac-  
 pe intelligemus ex paruis.<sup>e)</sup> Ad paruorum genus autem resert  
 oculorum obtutum, superciliorum aut remissionem aut con-  
 tractionem, moestitiam, hilaritatem, risum, alia, quae impe-  
 ritii solent in aliis parum animaduertere, quod spectantium ani-



mos leuiter tantum afficiunt. Ita Graeci quoque loquuntur:  
**P**LVTARCHVS quidem in libello de profectu virtutis sentiendo, aliquoties μηδέ appellat res eas, quae vulgo, et maxime ab imperitis, in secunda virtute solent negligi, quamquam vim habent longe maximam. Nam tritum illud:

*Ei γάρ κεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθέο*

*Καὶ θεραπεῖ τεθ̄ ἔρδοις,*

non tantum de augenda pecunia bene dici, ait, sed posse etiam ad incrementa virtutis transferri.<sup>f)</sup> Eum vero in virtute multum profecisse putat, qui nihil sibi indulget, quod reprehendi possit, *οὐλὰ περσέχων ἐκάστῳ, καὶ εἰς τὸ μικρότατον ή κανία ποτὲ τῶν ἀμαρτημάτων ἐνδύσα, συγγνώμην πορέζοταί*, id aegre ferat et indigneatur.<sup>g)</sup> Sed haec de notione sufficient.

## VI

Veniamus ad genera rerum minutarum, quas ob paruitatem cum magistri virtutis in praecipiendo, tum hi, qui in corrigendo animo vel deberent laborare, vel vere laborant, in agendo plerumque solent negligere. Est autem earum, ut facile intellegitur, infinita paene multitudo. Ut enim quisque est in obseruandis et indagandis animi sui viribus, agitatione, motu, omninoque mutationibus internis omnibus indiligentior et levior: ita etiam maior solet esse copia rerum, quae ei videntur exiguae. Atque ne is quidem, qui mentis aciem diligenter acuit ad videndos motus internos, eorumque vicissitudines curiose spectandas, praesenti semper animo vtitur, cum tanta cura, ac tam perpetua et constans, vix cadat in imbecillitatem humanaam. Quis non interdum dormitat, vel arctiori quodam somno opprimitur? Quam non saepe is ipse sensus internus decipit, ut se ipse non satis habeat perspectum, et in suis aedibus

f) Pag. 76. ed. Francof.

g) Pag. 85.

dibus veluti peregrinetur? Quem denique imagines rerum extriarum, irrumptentes vndiquaque per sensus, interdum non ita conturbant, vt nascentes in animo opiniones, libidines, perturbationes non statim possit cernere et intelligere? Sed hoc ipsum, quod res, quae leniter afficiunt animum, et hanc ob causam paruae dici possunt, vel extra nos positae sunt, vel in nobis ipsis sitae, nos impellit, vt earum duo consituamus generas, quorum alterum complectatur omnia, quae sub sensu cadunt; alterum vero e rebus iis constet, quae in ipsa animi agitatione insunt. De vtroque genere iam deinceps paullo conquisitius agamus.

## VII

Ac primo quidem generi earum rerum, quae sunt *extra nos positae*, ac sensus leniter tangunt, vt factam mutationem parum curet animus ac sere negligat, *tres subiectae sunt formae*. Interdum enim a rebus *singulis* hoc modo afficitur animus; interdum a *pluribus simul*, interdum denique a *multis*, quae *sibi succedunt*. Multa enim quotidie percipimus, multa videmus et audimus, quae, quod leniter affluunt ad animum, nec cum rebus aliis ita copulata sunt, vt ictu vehementiori nos commouant et quatiant, parum curare solemus. Nam in illa festinatione, qua continuo ferimur ad noua rerum simulacra, res singulas, quarum non est vis tanta, vt animum possint attenuum facere, perfunditorie tantum, et quasi aliud agentes, percipimus, eaeque obscuriores imagines vehementer negliguntur ab his, qui non didicerunt, animi sui statum spectare, eiusque vicissitudines curiosius anquirere. Sed dici non potest, quantum vim haec levia, quamvis vehementiorem motum non excitant, in animo saepe exferant. Falluntur enim, qui existimant, ea nihil in nobis efficere propterea, quod animum non teneant, et ad se rapiant, vel quod eorum vis non semper statim manifesta sit. Quis enim nescit, excitari nonnunquam in nobis



nobis *appetitus*; quos quid prouocauerit, ipsi ignoramus; sentiri interdum *infractionem* quandam ac *demissionem animi*, quae vnde sit orta, non satis intelligimus; adesse saepe *praeparationem* quandam *affectus*, veluti irae, tristitiae, gaudii, nec intelligi posse, quid nos ita affecerit; instaurari repente a phantasia *magnam visorum multitudinem*, nec perspici, vnde mens ea renouandi occasionem arripuerit. Haec, et alia multa, plerumque proficiscuntur a leni illa rerum extrariarum efficacia, cuius, cum tangit animum, et per sensus sollicitat, non semper rationem habemus. Manifestum id est maxime in iis, qui sunt alicui vitio dediti, in iracundis, libidinosis, auaris, aliisque. Hi enim rebus minimis facillime irritantur, nec est in rebus externis quidquam tam paruum, modo habeat aliquam cum ipsorum vitio coniunctionem, quod perdant, et quod affectos ipsorum animos non offendat. Interdum vis ista rerum exteriarum, quae singulae leuiter tantum nos afficiunt, tum demum manifesta fit, cum sensim apud animum collectae sunt. Ita cum multa vel vidimus, vel audiuimus, quae singula non sufficerent ad exhilarandum animum: tamen ipsa illa rerum minimarum copia, quae paullatim, ac per interualla, animum tetigerant, tandem iucundos motus producit, et hilaritate nos perfundit.

## VIII

Sed earum quoque rerum, quae *simul in nos agunt*, non semper tanta vis est, vt magnam animi attentionem excitent, et studiose a nobis obseruentur. Illabuntur saepe multarum rerum simulacra animum simul, sed tam leuiter et quasi clanulum, vt, nisi diligens et curiosus fuerit rerum suarum animaduersor, ipse vix sciat, quid potissimum senserit. Hanc simulacrorum, animum simul pulsantium, vim lenem, interdum mollem et suauem, qui neglexerit, is semet ipse magnis

magnis ad virtutem incitamentis priuare, vel imprudens op-  
primi potest peccandi periculis, quae minime praeuiderat.  
Quem non adspectus locorum quorumdam, quem non cubiculi  
et secessus tranquilla solitudo, quem non tacita, vt est apud  
poetam, amica silentia lunae, quem non saepe alia rerum nobis  
circumiectarum multitudo et varietas, ita afficit, vt animus,  
antea nihil tale agens, sensim erigatur ad Deum, sensus mo-  
tusque pios concipiatur, multaque praecclare cogitet, atque decer-  
nat.<sup>4)</sup> Eadem vero rerum multarum, simul perceptarum,  
vis etiam plurimum valere potest in contrariam partem. Incau-  
tos enim facile potest ad leuitatem, petulantiam, libidinem et  
peccandi impetum allucere ac praeparare, et pedetentim eo per-  
ducere, quo nec putauerant, nec volebant. Id fere tum sit,  
cum improvisa opportunitas temporis et locorum peccandi  
propositum in iis efficit, qui in eam cogitationem nunquam  
delapsi essent, nisi inopinatus rerum extrariarum nexus ani-  
mum leniter illexisset, et imprudentes decepisset. Dici non  
potest, quot hoc modo flagitia orta sint, et ab iis quoque com-  
missa, qui nunquam putassent, se talia audere posse. Sic in-  
terdum boni viri, aduersus rerum externarum illecebras lenes  
non satis muniti, praeter opinionem ea facere possunt, a qui-  
bus videbantur et sibi, et aliis longe alienissimi. Neque hic  
praetermittenda est illa vis, quam opera artificum, quibus  
quotidie utimur, quae semper videmus et tractamus, et quibus

fenim

- 4) Si tibi occurrit vetustis arboribus, et solitam altitudinem egressis, frequens  
lucus, et conspectum caeli densitate ramorum, aliorum alias protegen-  
tium, submouens, illa proceritas filuae, et secretum loci, et admiratio  
umbrae, in aperto tam densiae atque continuae, fidem tibi numinis facit.  
Et si quis specus faxis penitus exefis montem suspenderit, non manu  
factus, sed naturalibus causis in tantam laxitatem excavatus, animum  
tuum quadam religionis suspitione percutiet. Magnorum fluminum ca-  
pita veneramur; subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet. Co-  
luntur aquarum calentium fontes; et stagna quedam vel opacitas vel  
immensa altitudo sacrauit. SENECA Ep. XLI.



sensim adsuescimus, in animo exserunt. Manifestum enim est, et vsu ipso comprobatum, operibus artificum imperfectis, maleque compositis, hebetari pulcritudinis sensum, eosque, qui quotidie hauriunt vitiolas praevasque talium rerum imagines, et, ut PLATONIS formula vtar, *gramine noxio nutriuntur*, multa paullatim ab his rebus externis decerpere, quae animo sint perniciosa, et ignaros saepe magnum malum contrahere. Praeclara est hac de re PLATONIS disputatio in tertio libro *de republica*<sup>i)</sup> vbi copiosus docetur, quantum sit, haec parua diligenter animaduertere. Existimant quidem vulgo hi, qui de mentis humanae natura subtiliter cogitare non didicerunt, nihil referre, quibus rebus circumdati sint homines, quibus vtantur aedificiis et vestibus, qua supellecstile, quae ipsorum oculis obiectae sint species in tabulis, signis, aliisque artificum operibus, quod audiant genus musices, quas cantiones, quos vericulos edificant. Sed quis non videt, haec omnia vel propterea, quod ante oculos obuersantur quotidie, et varie usurpantur, non posse in animum non influere, eumque leniter flectere. His paruis rebus sensim corruptitur animus, si praeiae fuerint, ut negligentiam, agrestem quamdam *divitias nostras*, petulantiam, spurcitie in omni vita demonstret; si boni decorique naturam expresserint illae res externae, sensum pulcritudinis, constantiae, ordinis in omnibus dictis et factis, alent et confirmabunt, ut homines, quasi aliud agentes et ignari, cernere discant, quid sit in quauis re pulcrum et aptum, idque in omni vita diligere incipient et sectari. Quare PLATO eo, quem diximus, loco recte monet, in educandis adolescentibus habendam esse rationem rerum externarum omnium, quibus sint circumdati; ut in salubri quasi loco habitantes, vndeque adiuuentur, et a praestantibus artificum operibus, vel ad oculos, vel ad aures aliquid perueniat veluti aura, a locis falu-

i) Inde a pag. 616.

salubribus sanitatem secum ferens, quae eos statim a pueris sensim sensimque ad amicitiam et consensum cum iis, quae ratio suadet, leniter prouehat.<sup>4)</sup>

## VIII

Habet denique, vt supra obseruauimus, etiam *successio rerum externarum*, et mutationum quarundam continuata series hoc, vt animum tangat interdum leniter, sed incautum, et prima illa irritamina spernentem, varie decipiat. Hoc modo saepe oriuntur *perturbationes animi*, et praeter opinionem tanto-pere augentur, vt animus incitatus nec cohibere se possit, nec quo loco vult, insistere. Vbi enim mutatione quadam externa leniter affectus, primum ictum neglexeris, motumque suscepis quantumuis leuem, accedentibus identidem nouis irritamentis, continuo crescit agitatio, ac perturbatio exsilit tanta, vt incitatus animus proclive labatur, sustinerique non amplius possit. Conspicuum est hoc fallens, et a paruis rebus profectum, perturbationis incrementum in irascientibus. Saepe nutus aliorum, saepe vultus, non nihil contemtionis prodens, leuem aliquem morsum in animo relinquit; si eorum risus accesserit, crescat tacita indignatio; adde iocos, vehementer ales incensi hominis ardoreni; adde dipterium, videbis, quantopere se ipsam impellat ira, nec amplius consistendi locum reperiat. Atque his paruis rebus in primis ii commoueri solent, qui sunt proeliuiores ad superbiam, vel dediti vitae generi paullo molliori. Hi causas irascendi facile vbiique inueniunt; ac verissime hac de re PLUTARCHVS in libello de *ira colubenda*, καὶ μὴν τὰς γε συνεχέις, inquit, καὶ πυκνάς, καὶ κατὸ μηδὲν ἐν τῇ φυχῇ συλλεγόμενας οὔγρας μίσα φίλωντες καὶ δυσκολίας μετὰ τρυφῆς καὶ μαλάκτες, εἰς σπῦνος ἢ σφρύξιν ἡμῖν ἐπίτετται.<sup>5)</sup> De amore idem dixeris. Parua fere sunt, quibus excitatur, paruis rebus alitur, atque omnino, vt notum est, μικρολόγος esse

4) Pag. 619.

5) Pag. 461.



esse solet ac *φιλάρτιος*. Inprimis notabilis est leuiuscularum mutationum vis in commouendis suspicionibus, quae vbi semel ortae sunt, e rebus minimis ingens incrementum capiunt. Exemplo possunt esse ii, qui Zelotypiae stimulis incitantur. Quid enim agere, quid dicere, quid suscipere, quid omitttere, quomodo denique vultum componere potest amans, quia Zelotypus institutis eius omnibus vtatur ad suspicionis suae vim confirmandam, animique dolorem augendum. Omnia in contumeliam et aliorum accipit, atque facta sunt, omnia interpretatur inique, se semper credit negligi — Praetermittimus alia multa, quae hac de re disputari possent, quoniam putamus, vel his paucis planum esse factum, res externas, modo sigillatim, modo coniuncte, animum saepe ita afficere, ut earum efficacia imperitis videatur quidem leuis et parua, ab eo autem, qui alias ad virtutem utiliter instituere voluerit, diligenter notanda sit et explicanda.

## X

Sed plura latent in animo ipso, et in ipsa eius agitatione occurunt, quae vulgo putantur parua, et quorum vim ii, qui de doctrina morali praecipiunt, saepe nimis negligunt; sequitur itaque, ut etiam hoc genus paucis illustremus. Ac primo quidem in nobis est *ingens multitudo ideas obscurarum*, quarum mens, cum non possit multa simul complecti ac distincte cogitare, parum sibi conscientia est. Harum autem duplex est genus. Primum earum, quae nunquam ita possunt instaurari, ut claritatem aliquam accipient, satisque possint a reliquis distingui, vel quod iam tum imperfectae erant, cum mens eas arriperet, vel quod memoria quasdam earum partes sensim passa est evanescere, nec eas iam plenas reddit et absolutas. Alterum genus eas complectitur ideas obscuras, quae possunt quidem reuocari, quod memoria retinentur, sed, cum mens est aliis rebus intenta, recesserunt quasi in umbram. Hoc genus patet latissime, et continet

tinet omnia; quae praeter eas res, quibus adhibetur attentio,  
 in animo condita sunt. Iam cum sit perpetua mentis agitatio,  
 et incredibilis in cogitando celeritas; in illa ipsa festinatione  
 autem nec temere erremus, nec possimus quodam quasi saltu  
 ad quascumque notiones peruenire, sed viam potius teneamus  
 certam, quae ducat per ideas, aliquo vinculo et quadam veluti  
 affinitate coniunctas: saepe accidit, ut *transitus ille ad cogitationes nouas per ideas obscuras fiat*, quae vel plane nulla, vel ad modum  
 parua luce insignitiae sint et collustratae. Quare saepe  
 nescimus ipsis, qua ratione, quaque via sumus ad cogitationes  
 delati, quae cum antegressis non videntur cohaerere. Atque  
 omnino tota hominis vita consumitur ista notionum vicissitu-  
 dine, quarum aliae distincte cogitantur, aliae obscuritate sua  
 latent, quamquam omnes communi quodam vinculo aptae sint  
 inter se et connexae. Sed quis non intelligit, quantum inter-  
 fit, animum ad videndas et contemplandas istas vicissitudines  
 acuere. Principio enim eius rei ignoratio *superstitioni* fauet, et  
 multos induxit, vt, quoniam non intelligebant, quomodo  
 potuerint subito in ipsis existere notiones, ab antegressis longe  
 diuersissimae, cogitationes, ab hoc fonte manantes, vel diuini  
 spiritus afflatui tribuerent, si piae viderentur, vel diaboli frau-  
 dibus, si essent impiae ac detestabiles. Et hoc modo, quis  
 nescit, quot homines fanatici omni tempore extiterint, quot  
 phantasiae ludibria perturbauerint genus humanum, quot de-  
 niique homines miserri, qui se tentatos a diabolo putarent, ani-  
 mo vehementer discruciat sint? Deinde, quod motus animo-  
 rum duplices sunt, alteri cogitationis, alteri appetitionis:  
 ideae obscurae interdum *appetitus quoque sollicitant* et ad agendum  
 impellunt. Atque sic glicere incipiunt desideriorum igniculi,  
 quorum origines saepe ipsis ignoramus; sic interdum angoribus  
 affieitur animus, quorum causae nos latent. Haec omnia,  
 parua quidem illa, et quae imperitorum animaduersioni se fa-  
 cile



eile subducunt, qui neglexerit, is imprudens ad peccata abri-  
pitur, nec potest esse sui potens; nam nec animi tranquillita-  
tem conseruabit, nec virtutem, quam sibi comparauit, satis  
tueri poterit, cum artes animi clandestinas, eiusque latebras  
interiores non habeat perspectas. Monendi igitur sunt homi-  
nes et hortandi, vt saepe ad se redeant, animique motus mi-  
nimos obseruare discant, ne, cum talia acciderint, haereant  
et conturbentur.

Quod autem de notionibus singulis diximus, id etiam *ad*  
*opiniones et iudicia transferri* potest, quae ipsa interdum latent  
in nobis, vt quamquam in agendo nos regant, mens tamen  
eorum sibi parum sit conscientia. Est enim haec plurimorum ho-  
minum conditio, vt statim atque nati sunt, in omni continuo  
prauitate versentur, ac paene cum lacte matris plurimos erro-  
res suxisse videantur. Multas opiniones etiam ipsi singimus,  
cum per aetatem nondum possumus recte iudicare, et, quid  
sit in quavis re verum, subtiliter videre. Hae autem opinio-  
nes, mature collectae, inhaerescunt in mente penitus, et quae  
puerilis animus arripuit, ea sunt, vt vere ait PLATO<sup>m)</sup>) *duo-*  
*exinxerit te ius auertisata, vix elui, vix abstergi possunt ac*  
*submoueri.* Sed haec ipsa consuetudo diurna, quae has op-  
iniones quasi partem aliquam nostri fecit, *omnem mentis attentio-*  
*nem ab iis auertit, nec finit nos eas in eorum numero habere,*  
*quae cura nostra indigeant. Hinc fit, vt multa peragamus*  
*quotidie, non certa ratione ducti, sed impulsi obscuris istis*  
*animi iudiciis, quae sensim conualuere. Nec tales opiniones,*  
*mente semel comprehensas, ac temporis diuturnitate confirmata-*  
*tas, facile euellat ratio. Miramur saepe, qui fiat, vt grauissi-*  
*mis argumentis vel apud nos, vel apud alios nihil efficiatur.*  
*Indignamur interdum, nos ne iis quidem assentiri posse, qui*  
*verissi-*

<sup>m)</sup> *De Republ.* I. II. p. 605.

verissima et utilissima suadere videntur, sed impediri sensu quodam obscuro, qui nullo argumentorum pondere opprimatur. Atqui in hoc se exserit vis illa opinionum obscurarum, quas mature concepimus. Hae enim efficiunt, ut, quamquam meliora placeant, et assensu nostro digna videantur, ea tamen non possimus penitus admittere, et toto animo complecti, quod nimis apud nos inualuit ratio contraria, ac fere coaluit cum ipsa mentis nostrae natura. Neque existimari debet, tales opiniones, quae obscuritate sua nocent, tantum a teneris animis suscipi. Etiam adulti fere quotidie e consuetudine cum aliis, et ex iis, quae videmus et audimus, aliquid trahimus insciis, quod in animo firmiter sedeat, eumque prauis opinionibus inficiat. Dici non potest, quanta sit hac in re vis exemplorum, cum omnium, tum in primis eorum, quae proponuntur ab hominibus, quos amamus, colimus, veneramus. Horum moribus, horum agendi ratione facile fit, ut multae latenter irrepant opiniones, et nescientes, vel certe parum curiosos rerum suarum spectatores varie corrumpant. *Nemo non, praeclarè hac de re ait SENECA,*<sup>n)</sup> *aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimis, aut nescientibus allinit — Conuictor delicatus paullatim eneruat et emollit.* Vicinus diues cupiditatem irritat; malignus comes; quamvis candido et simplici, rubiginem suam affricuit. Haec omnia vulgo putantur parua. Nam quotusquisque est, qui in se ipsum descendens, diligenter examinet, quibus sit opinionibus deditus? Quotusquisque est, qui eas protrahat in lucem, et obseruet, quid et quantum in se quotidie efficiant? Sed debent hi, qui doctrinam moralem coram populo tractant, hac de re saepius admonere homines, et quoniam sunt ex opinionibus illis nonnullae pluribus hominibus communes, has potissimum studiose notare, et ostendere perspicue, quomodo visu et exercitatione possit animus tum ad videnda haec clandestina vitia, tum ad euellenda et corrigenda acui et aptus fieri.

C 3

XII

*n)* Epist. VII. quae tota hoc pertinet.



Pertinent autem ad res paruas, quae in animo ipso latent, in primis etiam illi, quos paullo ante diximus, desideriorum igniculi, sive ab obscuris ideis, sive a claris profiscuntur, omninoque omnes voluntatis repentinae inclinationes, momentaque saepe perleuia. Est enim haec animi humani natura, ut voluntas interdum leuissimis momentis impellatur, quae mentis acies, omni adhibita contentione, non semper potest perspicere et inuenire. Id non modo tum fit, cum aliquid celeriter decernendum est, vel cum de rebus agitur quotidianis et leuibus, quas parum curamus, et quasi sorte decidimus; sed in grauissimis etiam, de quibus est difficilis deliberatio, quod multa de iis in mentem veniunt in vtramque partem. In tali causa cum incertus haeret animus et anceps, atque optat, ut aliquid momenti accedit in alterutram partem, arripit plerumque rem quamque leuissimam, quae vel per sensus ad nos delata est, vel industria phantasiae subministrata, vel ab appetitu quodam vehementiori profecta. Sed haec momenta leuia, quae saepe plurimum valent in rebus grauissimis, quam parum ab hominibus obseruentur, vel ex eo potest intelligi, quod eorum ignoratio peperit opinionem *de libertate*, quam dicunt, *indifferentiae*, quae omni tempore multis philosophis vehementer placuit. Si quis igitur voluerit in omni liberatione ita versari, ut minime pendeat a casus arbitrio: omni studio laborare debet in eo, ut acute videre discat in rebus iis, quae voluntatem quovis tempore inclinant et impellunt. Etsi enim non semper omnia momenta inueniet, quae adsunt: hoc tamen vsu et contentione efficiet, ut multa rectius animaduertat, quam alii, nec casu quodam in ea veluti incidat, quae prudenter decernenda fuerant et caute. Sed *appetitiones* quoque et *auerstationes* a paruis plerumque profiscuntur initii. Non statim desiderio ardet animus, non statim laetitia gestit et exsultat; sed sunt quaedam principia, his magnis commotionibus praeludentia, eaque parua, in motu quo-

quodam leni, plerumque ne voluntario quidem, posita. Hoc etiam in iis commotionibus locum habet, quae sunt ex opinione mali, in metu, aegritudine, tristitia. In omnibus, quae appetit animus ac detestatur, incipit a leuiori quodam conatu, qui sequi solet ictum primum, quem senseramus. Hunc conatum, hanc vehementioris perturbationis comminationem, qui negligunt, vel subtiliter obseruare nedicerunt quidem: ii vi appetituum, quae, cum semel excitata est, celerrime crescit, ita trahuntur, et inuiti quoque solent abripi, vt non amplius possint resistere. Atque hoc ipsum, quod non omnes voluntatis motus cum animi conscientia fiunt, sed minutis rebus saepe impellimur, quarum nulla est distincta repraesentatio, hoc ipsum igitur etiam illud efficit, *vt multa, per membra corporis quoque, peragamus, quorum nobis non satis sumus conscientia.* Id autem fit dupli modo. Primo quidem tum, cum quaedam agendi ratio abiit in consuetudinem. Nam quae ex habitu peragimus, ea non amplius requirunt mentis animaduersiōnē et diligentiam, saltem admodum paruam, et ita fere fiunt, *vt actio ipsa non impedit animum, quominus rebus aliis intentus sit.* Sed praeter eas res, in quibus consuetudine ducimur, instituimus etiam quotidie multa, *quae ob paruitatem nos latent, ut interdum nec sciamus, nec aliis credamus, ea a nobis vel fieri, vel facta esse.* Quanta est varietas eorum, quae in motu corporis, in vultu, in oculorum obtutu, in locutione, in statu, incessu, sessione, et in multis aliis proficiuntur ab animo parum sibi conscientia, et quae ab aliis animaduertuntur in nobis facile, a nobis ipsis saepe penitus ignorantur. Solemus etiam, *ut docet experientia, has minutas actiones facile repetere, et hoc modo infici habitum contrahere, qui saepe tantus est, ac tam pertinax, ut vix possit acerrima diligentia debilitari ac depelli.* Quid autem in hac animi mobilitate, quae nunquam quiescit, sed perpetuis mutationibus cietur et agitatur, magis necessarium est, quam *ut homo semper excubare discat, ne ex his paruis rebus,*



rebus, quas imperiti negligunt, pereat aliquid, quod ad confirmandam munieritamque virtutem pertinere possit, vel aliquid tacite crescat, et sedem in animo figat, quo corrumperatur, et status eius fiat deterior.

status eius fiat deterior. nonnulla dicenda supersunt. Etenim status animi cum efficiatur mentis ac voluntatis motibus, qui quo- uis tempore adsunt, ac veluti dominantur in nobis, necessario est continuis mutationibus obnoxius, quoniam notiorum et appetituum vicissitudines nunquam consistunt, nec quaedam esse potest in his rebus constantia.

XIII

Sed restat hic ipse *status animi*, de quo, quod et ipse interdum parui ducitur, nonnulla dicenda supersunt. Etenim status animi cum efficiatur mentis ac voluntatis motibus, qui quo- uis tempore adsunt, ac veluti dominantur in nobis, necessario est continuis mutationibus obnoxius, quoniam notiorum et appetituum vicissitudines nunquam consistunt, nec quaedam esse potest in his rebus constantia. Quis autem non videt, ali- um animi statum exercendae virtuti, alium perpetrandis sceleribus aptiorem esse? Adsunt interdum ac dominantur in ani- mo notiones, sensus et motus, qui, si diligenter animaduer- tuntur, hominem ad edenda praeclara facinora primum red- dunt et idoneum. Alio tempore eae occuparunt animum ide- ae, ea desideria exarsere, quae si opportunitas accesserit, et externum quoddam vel leuissimum irritamentum, eumdem hominem ad atrocissima scelera impellunt. Interdum in corpore latent cause, quae animi statum in peius mutent, et peccan- di libidinem excitent. *Vetus dictum est, ait SENECA<sup>o</sup> a lasso fixam quaeri.* Aegre autem et ab esuriente, et a sitiente, et ab omni homine, quem aliqua res urit. Nam ut ulcera ad leuem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactus condoleantur: ita animus affectus minimis offenditur, adeo, ut quosdam salutatio, epistola, oratio et interrogatio ad sitem euocent. Haec ille verissime. Sed haec ani- mi praeparatio ad virtutem, et haec scelerum veluti communi- catio, quae in ipso eius statu inest, saepissime negligitur et ignoratur ab his, qui ad videndas mutationes internas mentis aciem non acuerunt. Hi si didicissent, quomodo status animi

<sup>o</sup> De Ira 1. III. c. 10.

quouis tempore diligenter obseruandus sit: non modo in virtute celerius proficerent, sed multa etiam cauerent, quae peccandi periculum afferunt, atque tum, cum se ad vitia procliviores sentirent, multo attentiores essent, quam plerosque videamus esse — Sed haec de rebus ipsis, quae vulgo putantur paruae, earumque generibus viuierse dicta sunt.

## XIII

Venientum enim est ad causas, quibus homines in obseruandis his rebus minutis negligentiores sunt; quae, si quid videmus, sunt potissimum tres. Ac prima quidem, eaque praecipua, in eo est, quod multi vim harum rerum penitus ignorant, nec unquam de ipsis cogitarunt; vel quod nunquam didicerunt, animi sui motus diligenter spectare et contemplari; vel quod nesciunt, quid in se sit imbecillum, et quae potissimum animi pars diligenter protegenda sit. Hoc enim in promptu est, homines multos tanta cupiditate duci, res nouas, quae sensus feriant, percipiendi, et his, e motu sensuum haustis et comprehensis rerum simulacris ita distrahi et occupari, ut animus sere nunquam ad se redeat, nunquam se contueatur, sed habitet quasi in rebus externis. Huic autem vitiō qui dediti sunt, ii negligunt omnia, quae non sunt tanta, vt animum vehementer concutiant, eumque, vt suarum fibi rerum conscientia fiat, quasi vi adigant. Atque peccatur in hoc saepe tum ab his, qui in educanda formandaque iuuentute versantur, tum ab aliis, qui doctrinam moralem coram populo tradunt, quod non laborant in aciendo sensu illo interno, quo mens suas actiones mutationesque percipit et animaduertit. Excitandi enim sunt homines omni modo, vt obseruare discant, quomodo sint quouis tempore animo affecti, et internas actiones mutationesque, quantum fieri potest, attente sequantur. Nam qui mentem ad videndas illas vicissitudines non acueruut, ii sequi coquuntur caecos animi impetus, cum lenes illos motus ac vicio-

D

rum



rum accessus, quibus celeriter resistendum erat, non animad-  
 uertant, atque omnino tum demum sui sibi consci fiant, cum  
 mala iam vehementer creuerunt, eorumque vis non amplius  
 potest reprimi. Haec inficitia, quae prauas animi mutationes  
 non sentire didicit, in primis iis nocet, qui ab aliqua parte im-  
 becilli, et ad vitiorum quoddam genus procliuiores sunt. Ne-  
 que enim iisdem rebus affici solent eodem modo homines  
 omnes. Est potius in cuiusuis animo tenerum quiddam et  
 molle, quod facile quatitur; hoc qui apud se non exploravit,  
 si ignorabit etiam, quantopere rebus minimis commoueri pos-  
 sit, et quam facile corrupni. Quoniam igitur paucis datum  
 est, quod CICERO sapienti tribuit<sup>1)</sup> ut semper possint excu-  
 bare animo, ne quid ipsis improbus accidat aut inopinatum;  
 plurimi temere negligunt res multas, quae intus sunt, paruas  
 quidem illas, et acriori contentione obseruandas, sed effica-  
 cissimas profecto ad corrumpendos mores, omnemque vitam  
 perturbandam. Idem etiam multa praetermittunt, quae prod-  
 esse possent ad virtutem, animique emendationem. Nam sae-  
 pe sunt multorum in virtute vel nulli, vel tardi profectus, quod  
 in rebus paruis peccant et elementa prima negligunt, quae im-  
 peritis videntur leui, sed sine quibus maiora nec existere pos-  
 sunt, nec conseruari.

## XV

Atque hic non alienum erit, paucis attingere rem, de  
 qua nobis quidem aliter videtur, quam plurimis, qui doctri-  
 nam moralem exponunt, et docent, quomodo eius praen-  
 cepta ad vitam ipsam transferenda sint. Notum est, et iam a  
 vetustis scriptoribus vehementer celebratum Pythagoricum il-  
 lud praeceptum, quod iubet, non ante somnum in oculos ad-  
 mittere, quam omnia, quae eo die dicta sint et facta, diligenter  
 apud animum consideraueris, et singula, curiose repetita,

vel

<sup>1)</sup> Tuse. Quæst. I. IV. &c. 17.

vel vituperaueris tecum, si mala fuerint, vel probaueris, si cum virtute consentiant.<sup>9)</sup> Haec vespertina commemoratio eorum, quae quoquis die facta sunt, plurimum conferre videatur ad acuendam mentis aciem, et alendum incendendumque verae virtutis studium. Inde factum est, ut etiam ii, qui doctrinam moralem ad normam Christianae religionis exponunt, hoc Pythagoreorum institutum adsciscerent, et in officiis hominis Christiani ponerent explorationem, quam dicunt, *quotidianam*, quam vehementer inculcare, et in praecipuis Christianae virtutis adminiculis numerare solent. Evidenter fateor, si accurate fieret, et ab omnibus posset fieri, quod suadet Pythagorae praeceptum, eam rem hominibus vehementer profuturam esse cum ad sui cognitionem, tum ad virtutis ac pietatis incrementum. Sed vix adduci me patiar, ut credam, in omnibus praeceptis, quibus solemus homines ad virtutem instituere, nullum esse, quod saepius negligatur, quam hoc ipsum de exploratione quotidiana. Nec mirum hoc videbitur ei, qui paullo accuratius perspexerit ipsius praecepti naturam. Est enim ita comparatum, ut facile possit obseruari ab eo hominum genere, quod vitam agit tranquillam, remotam a negotiis publicis, et contemplationi dicatam. Nam his, cum vesper adest, nec otium deerit, quod ad istam explorationem conseruant, nec vires et alacritas animi, sine qua ne locum quidem habere potest. Atque talibus hanc legem etiam scripsit Pythagoras, hoc est, philosophis, usque grauibus, et quietum sectantibus vitae genus, quod ipse vehementer amabat. Sed ut ista exploratio legitime possit institui ab iis quoque, qui, magna negotiorum multitudine obruti, vitae suae cursum vel in labore corporis, vel in contentione animi conficiunt, equidem vehementer vereor. Nam hi, quotidianis laboribus perfuncti, affectum corpus, affectum animum ac de-

D 2

fatiga-

9) Conf. Carm. aur. v. 40 — 44. p. 108. ed. Brunck.



fatigatum ad istam explorationem afferent, eamque aut plane non suscipient, quod sit a pluriinis; aut, si suscepint, ei rei per imbecillitatem non ita poterunt operam dare, vt inde commoda percipiant. Ac subit mirari, cur illatum sit hoc praeceptum doctrinae Christianae, cum in libris sacris nullibi exstet. Loci enim, quos vulgo afferunt, vt demonstrent, istam explorationem a Christianis postulari, sunt e genere plane alio, nec quotidianam et vespertinam explorationem, sed omnino hoc postulant, vt homines diligenter de rebus suis et institutis cogitent, et quales ipsi sint, videre discant. Multo rectius, multo accommodatus ad mentis humanae indolem, et quotidianae vitae rationem Christus et apostoli hac de re praeceperunt. Neque enim, vt infra copiosius doccebimus, hoc postulant, vt quotidie, *profligatis laboribus, vespere* repetamus memoria, quae fint a nobis per totum diem facta; sed *in ipsa actione, et per omnem vitam* animum adhibere nos iubent attentum, qui studio nunquam intermisso excubet, qui res omnes, vtcunque ceciderint, diligenter circumspiciat, ac dum eueniunt et fiunt, obseruet et sentiat, quam vim exserant, et quomodo ipse sit iis affectus. Haec perpetua mentis alacritas, quae nunquam se, suosque sensus, motus, conatus, impetus denique omnes obliuiscitur et negligit, sed inter ipsos labores frequenter ad se redit, in omnes cadit homines, ac facile potest studio et exercitatione comparari. Nam qui religionem didicit cum omnibus vitae partibus coniungere, Dei autem memoriam nunquam patitur excidere ex animo, vel penitus apud se obliterari; discere autem hoc omnes et debent, et possunt: is etiam inter ipsa negotia, labores, molestias, oblectationes etiam et gaudia, perpetuam illam animaduersiōnem demonstrabit, quam Christiana religio postulat. Quanta autem est, et quam admirabilis etiam hac in re Domini sapientia! Scilicet parua illa, quae supra commemorauimus, et quorum saepe magna

magna vis est in vtramque partem, obseruari satis et caueri non possunt, nisi fuerit animus suis rebus *semper et indefesso studio* intentus. Ea vero exploratio, quae in tempus diei ultimum differtur, saepe ne sufficit quidem ad pernoscendas omnes animi latebras. Quanta enim est mentis in cogitando, appetendo, deliberando, decernendo celeritas! Quam saepe mutatur per vnum diem status eius vniuersus! Quanta multitudo idearum ei quotidie obuersatur, quarum plurimae eam aliquo modo afficiunt, quamquam ipsis non inhaereat? Iam cum ventum est ad explorationem illam quotidiana, quis quaeso poterit haec omnia, vti acciderunt et facta sunt, reuocare? Quis in memoriam eorum omnium redire, quae effecerunt, vt hoc potissimum, nec alio modo, sentiendum, pronuntiandum, agendum ipsis videretur? Haec tum statim perpendenda sunt, cum animo obuersantur, istaque consideratio per omnem vitam pertinere debet. Quare adhortandi sunt homines et monendi, vt omni tempore discant adhibere hanc vigilantiam et curam, quan nihil esse potest ad fructum vberius, et ad explorandam animi indolem utilius. Iam si quis adiunxerit etiam vespertinam illam et quotidiana explorationem, quae omnia, interdiu obseruata, quasi colligat in summam: eum vero rem praeclaram agere, quis non concedet; illa vna vero nec sufficit, nec ab omnibus legitimo modo adhiberi potest. Sed haec hacenus; reuertamur in viam.

## XVI

Igitur parua illa, quorum genera commemorauimus supra, etiam propterea saepe negliguntur, quod animus multarum rerum cogitatione interdum nimis distractus, ac fere obruitur. Cum enim negotiorum curarumque multitudine oppressus est, vel magna simulacrorum, per sensus quasi agmine facto irrumptum, varietate concitatus, nonnisi ea accuratius percipit et comprehendit, quae illuminata sunt, ac tamquam eminent et exstant;

D. 3



existant; quae autem minora sunt, et quasi recesserunt in vim-  
bram, ea obscure tantum sentit ac negligit. Sed haec parua, etsi  
animum non nisi leuiter tetigisse videntur, tamen quaedam in  
eo relinquunt vestigia. Etenim cum simulacris reliquis, quae  
a priori sensu accepta sunt, coalesceunt varie, ac maiora illa,  
quae animus vehementius arripuit, quodam inficiunt veluti  
colore, quo vel magis placeant, vel molesta videantur et odio-  
sa. Hoc omnes ii sentiunt, qui e tali tumultu, quo animus  
fuerat concussus, ad se redeunt, et quietem secessumque repe-  
tunt. Quia enim cum rebus iis, quos distincte percepérant,  
coniuncta suere multa alia, parua quidem illa, et obscurius  
animaduersa, sed vel molesta, vel grata: non possunt non  
ii, qui haec omnia senserunt, aut aegritudine affici ac taedio,  
aut quamdam auferre hilaritatem. Ita fit, vt homines, in re-  
liqua vita comes et humani, interdum morosi sint ac difficiles,  
praesertim cum ab aliquo negotio recentes sunt; saepe autem  
nesciant ipsis, quid potissimum tristitiam illam effecerit. Sed  
et seueriores interdum praeter opinionem frontem remittunt,  
animumque vel inuiti sentiunt inaniter et effuse exultare, et  
quadam leuitate inconsueta ferri, quae vnde profecta sit, ipsi  
ignorant. Huius rei etsi plures possunt esse causae, ipsaque  
causarum multitudo interdum habet hanc vim, vt, vnde sit  
orta talis affectio animi, non semper reperiamus: ea tamen,  
de qua hic loquimur, in praecipuis numeranda est. Etenim  
quo maior est copia eorum, quae grauitate sua omnem mentis  
attentionem in se conuertunt: eo minus possumus leuiora di-  
ligenter notare, quae cum iis coniuncta sunt, animumque  
tangunt quidem, sed non feriunt. Cum autem emersimus ex  
eo tumultu, quid mirum est, si saepe ignoramus, vnde pro-  
fectae sint contractiunculae apimi et morsus, quos visiones  
illae rerum obscuriores, non satis comprehensae, in nobis re-  
liquerunt? Ipsa igitur humanae naturae imbecillitas nos saepe  
impe-

impedit, quominus mutationes animi leuiores distincte percipiamus. Ex quo intelligi potest, quam necessaria sit illa perpetua animi attentio, quam paullo ante postulari diximus a religione Christiana. Nam multo saepius conturbabimur rerum copia et obruemur, si ad istam contentioneum animi vires nunquam fuerint exercitatae.

## XVII

Sed praeter hanc imbecillitatem etiam alia causa est, qua animus humanus impellitur ad negligenda ea, quae supra diximus haberi parua. Facit enim id interdum *sciens ac volens, cupiditate quadam corruptoque iudicio induitus*. Is quidem, qui moderatione et constantia quietus animo est, didicisse secum habitare, et motus internos omnes obseruare diligenter et regere, eriam primos illos iictus animaduertit, qui post perceptas res externas nos mouent, et principia, perturbationes et incitatam libidinem praeparantia, studiose cauet, quod bene intelligit, quam periculofum sit, his paruis rebus ac leuibus indulgere. Sed haec circumspectio, et in coereendis animi motibus seueritas fere penitus euanescit, cum animus aut futili quadam alacritate gestit, aut sittienter aliquid expetit, et desiderio ardet. Tum enim leuia illa, quae scit esse periculosa, alioque tempore diligenter visitat, aut plane neglit, aut libidine occaecatus earum vim non metuit. Abstractus enim ab integra certaque ratione, ea censet innoxia, quae alias detestatus esset, et parua illa irritamenta, quae excitatam libidinem alunt et incendunt, ipse conquerit. Nec desunt ratiunculae, quibus hanc deuentiam excusat, ac se decipiat ipse. Praesentis enim voluptatis desiderio captus ac definitus, facile inuenit, quibus causam suam defendat, vt motus illos paruos, quarum vim alias cum damno suo expertus est, nunc tamquam licitos sibi indulget. Ita sciunt, vt hoc vtar, ii, qui sunt ad voluptatem venereum procliuiores, quantum valeant, cum aliquo modo exarxit ista libido, res leuissimae ad vim eius



cius augendani et nutriendam. Sed plerumque tanta est excita-  
tae libidinis violentia, ut parua illa momenta, quarum vim mi-  
nime ignorant, nunc colligant ipsi, sibique persuadeant, ea nunc  
certe fore innoxia. Aberrant igitur oculi, quasi iam nihil aliud  
spectandum adesset, ad tabulam, si qua in promptu est, pictam,  
quamquam experti sciant, eam alere posse libidinem; manus  
veluti sponte euoluunt petulantia carmina poetarum, quae per-  
turbato animo blandiuntur; phantasia renouat imagines, quas  
alio tempore fugere solent; pedes quasi sponte petunt loca, quae  
incensae libidini fauent; differuntur, variis de causis, quas hoc  
modo commoti vehementer probabiles esse censem, negotia et  
labores, qui ardorem reprimere potuissent, in tempus aliud;  
donec his aliisque rebus, paruis quidem illis, sed affecto animo  
perniciosissimis, nutrita auctaque libido erumpat in actum, et ad  
sceleras ruat. Sed haec hactenus.

## XVIII

Paucis enim attigimus genera rerum, quae vulgo leues pu-  
tantur ac paruae, quod animum non semper attentum faciunt,  
et vehementius commouent. Has etiam tempore, aetate, in-  
dole ingenii corporisque, consuetudine, vitae genere, aliis, va-  
rie mutari et augeri, ut earum infinita paene sit multitudo, quis  
non intelligit? Speramus tamen, nihil in ista copia minutarum  
rerum fore, quod non possit ad capita illa, quae supra designa-  
uimus, commode referri. Sed sic etiam planum esse factum pu-  
tamus, inutilem esse omnem de moribus praeceptionem, quae  
se non demittat ad haec parua, eorumque rationem habeat. Et  
enim ea, quae ad commendandam virtutem, et ad demonstran-  
dam scelerum foeditatem differuntur, haud difficulter persuaderi  
sibi patiuntur homines, nec est facile quisquam tam inhumani-  
nus, omnisque sensus expers, quin honestatis pulcritudine com-  
moueatur, eamque vehementer probet. Sed cum ad actionem  
ipsam ventum est, cum depellendi vitii, et comparandae virtutis

tis pérículum facere volunt homines: tum vero haesitant; tum haec parua impedimenta, quae non satis norunt, et obseruare dicerunt, conantibus obstant; tum nesciunt saepe ipsi, cur frustra laborent, et vsu experiuntur, consilia praecipientium non posse transferri ad vitam; tum denique sentiunt, deesse sibi adminicula, ad quae veluti admittantur. Quare nihil agunt, qui doctrinam moralē tractant, cum hos recessus humani animi hasque latebras non habent perspectas. Omnia praecepta, si prodeſſe debent, ad hanc interiorē mentis humanae indolem diligenter accommodanda sunt. In quo vim maximam habebit accurata tum sui, tum aliorum contemplatio. Arduum enim est, ac prope maximā sapientiae pars, nosse homines; qua scientia omnium minime carere potest is, qui vult cum fructu alios instituere ad virtutem ac pietatem. Nec conficit hanc rem ea ratio, quam in scholis sequimur, cum praecipimus uniuersę de hominis natura; neque enim potest is, qui vires, appetitus, motus, omnemque agitationem animi humani in schola explicat, ad haec minuta descendere. Vniuersa amplectitur, genera tantum rerum, ipsisque subiectas formas tangit, quod ipsum postulat artis ac disciplinae subtilitas. Nisi igitur accesserit frequens usus, nisi futurus virtutis magister e scholarum umbra prodierit in lucem vitae, versatus sit cum hominibus multis, diligenter notauerit eorum mores, instituta, omninoque varias humani animi artes, minimas quoque, quarumque vestigia, leviter impressa, praeterire solent imperiti: inutilem perfectio operam consumet in exponendis pulcerrimis de virtute sententiis, hominibusque frustra inculcabit praestantissima religionis christianaē praecepta.

## XIX


Nec vero est, quod quis dicat, hac disputatione minui et eleuari vini, quam verbum diuinum, cui adiuncta sit Spiritus sancti efficacia, in corrigendis hominum animis exserat. Nam eti verissimum est, omnem vitae sanctitatem ab auxilio diuino repetendam esse; et frustra niti, qui sine hoc adiumento aliquid effici

E



effici posse pudent: tamen habet ea res suum modum, et est certis adstricta legibus. Neque enim vi infinita, cui nihil possit resistere, agit Spiritus sanctus in emendandis hominibus, eosque inuitos ad virtutem trahit: sed vtendum est viribus nouis, quas suppeditat; adhibenda est cura in usurpandis adminiculis, quibus parari potest vera sanctitas; cauendum est, ne reliquiae vitiostitatis naturalis nascens virtutis studium opprimant et extinguant; et, vt rem omnem paucis complectamur, verissima est vox apostoli: *μετὰ Φόβῳ καὶ τρόπῳ τὴν ἐαυτῶν τύχην κατεργάζεσθε.* Quare etiam libri sacri vehementer commendant diligentiam eam, quae in colenda virtute nihil negligit, sed parua quoque consecatur; quod facile copiosius docere possemus, nisi nostra disputatio iam dudum supergressa esset modum academicae prolusionis. Differemus autem, si Deo visum fuerit, ea de re propediem, et alteram commentationis nostrae partem absoluemus.

Nunc *Vos, cives optimi*, vehementer hortamur, vt per hos dies pie recolatis memoriam beneficij maximi, quo Deus genus humanum affecit mittendo Spiritu suo, qui per apostolos vbiique propagaret saluberrimam doctrinam, quam Iesus, de caelo missus, secum detulerat. Ei beneficio etiam nos debemus hoc, quod dispulsis tenebris, et ignorantiae ac superstitionis nocte discissa, fruimus nunc luce religionis praestantissimae, omnemque sempernae salutis tenendae modum et rationem accurate perspicimus. Quare *Vos* rogamus, *CARISSIMI CIVES*, vt et ad sacra publica, et ad sollemnitatem academie, inter ea peragendam, frequenter confluatis; hos autem dies ipsos ita transigite, vt leni efficacia Spiritus sancti ad omnem vitae sanctitatem flectamini. Ita Valete. P. P. in academia Vitebergensi, Festo pentecostes, A. C. *circccccccxxxv.*



Wittenberg, Diss., Erg. Bd. 6, 1783/91



56.

WD 18

W  
E  
178



DE VI  
QVA RES PARVÆ AFFICIVNT ANIMVM  
IN PRAECEPTIS DE MORIBVS DILIGENTIVS  
EXPLICANDA  
COMMENTATIONIS THEOLOGICAE  
PARS PRIMA  
QVA  
AD SOLLEMNIA PENTECOSTALIA  
A. C. C I O C C L X X X V  
IN ACADEMIA VITEBERGENSI  
PIE CONCELEBRANDA  
PUBLICO NOMINE INVITAT  
ORDINIS THEOLOGORVM  
H. T.  
DECANVS  
D. FRANCISCVS VOLKMAR REINHARD

VITE BERGAE  
LITERIS CAROLI CHRIST. DÜRRRIE

